



**Bellum Sacrum Ecclesiæ Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de  
Leodii, 1685**

§. III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

quasi Ecclesiæ militantis capitolium ;  
triumphantis typus & præludium.

§. III.

**P**Ost Constantinum & Heraclium Imperatores Christianissimos, Urbanus II. Pontifex maximus, æternum decus & gloriam immortalem sibi reperit ; unde & monumento ejus hoc elogium inscripserunt : Urbanus II. Auctor expeditionis in infideles , cùm Concilio apud Clarummontem habito, anno Domini 1095. Ita Principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam à Saracenis jam diu occupatam animavit, ut non dubitaret mori, pro illâ Civitate, in quâ Christus pro nobis mortuus est. Quare effecit, ut trecenta hominum millia nomen in militiam Christi dederint, signumque crucis susceperint: atque inter alios, multi Principes , Duces, Comites , in quibus eminuit Godefridus Bullonii Dux, vir secundùm cor Dei, præstantis animi, Religionis , & fortitudinis: qui quâm facile Terra Sancta à Christianis recipi possit, ostendit , dum parvis

F 2

copiis residuis, Hierosolymam anno  
Domini 1099. expugnavit, Feria  
sexta, horâ quâ Christus in Cruce  
mortuus est. Ipseque primus consen-  
sis muris urbem ingressus, primus  
deinde Hierosolymæ Christianus  
Rex, quasi novus David creatus, re-  
gnum in posteros sex Reges, per octo-  
ginta annos propagavit: idque merito  
suæ virtutis, pietatis, & modestiæ,  
quâ ut alia prætermittam, Christianis  
Principibus, eum de more, Regio Dia-  
demate coronare satagentibus, hu-  
militatis studio restitit, dictitans: Nol-  
„ le se aureâ coronâ insigniri in Urbe  
„ Sanctâ, in quâ Christus Dominus,  
„ Rex Regum, pro nostrâ salute spi-  
„ neam tulisset: unde eâ contentus,  
„ illiique reverentiam exhibens, Re-  
„ giam respuit. Verè Regum opti-  
„ mus, lumen & speculum Christia-  
„ norum Principum, ait, Wilhel-  
„ mus Archiepiscopus Tyrii *Lib. 9.*  
„ Belli Sacri c. 9. Vivet Godefride,  
vivet Urbane, tua virtus & gloria,  
quamdiu sæculorum omnium vivet  
Æternitas.

Orationem Urbani II. quâ in Con-

cilio Claromontano omnes ad Bellum  
 Sacrum accendit, recitat idem Wil-  
 helmus, in quâ inter cætera, ait: Hæc.  
 „ igitur salutis nostræ incunabula,  
 „ Domini Patriam, Religionis Ma-  
 „ trem; populus absque Deo, Ancil-  
 „ læ Filius Ægyptiæ, possidet vio-  
 „ lenter, & captivitatis liberæ filiis,  
 „ extremas imponit conditiones, qui-  
 „ bus versâ vice meritò servire tene-  
 „ batur. Saracenorum gens impia;  
 „ Sacra Loka, in quibus steterunt pe-  
 „ des Domini, jam à multis retro tem-  
 „ poribus, violentâ premit tyrannide,  
 „ subactis fidelibus, & in servitutem  
 „ damnatis, ingressi sunt canes in San-  
 „ cta; profanatum est Sanctuarium,  
 „ humiliatus est cultor Dei populus:  
 „ Angarias patitur indignas genus ele-  
 „ ctum; servit in luto, & latere re-  
 „ gale Sacerdotium; Princeps Pro-  
 „ vinciarum facta est sub tributo  
 „ Civitas Dei vivi.

„ Templum Domini de quo zelans  
 „ Dominus vendentes ejecit, ne Do-  
 „ mus Patris ejus fieret spelunca latro-  
 „ num, facta est sedes Dæmoniorum.  
 „ Templum Domini, inquam, ut ait

„ Mathatias ; quasi vir ignobilis , vasa  
 „ gloriæ ejus abducta sunt captiva ,  
 „ Civitas Regis Regum , quæ aliis re-  
 „ gulas intemeratæ tradidit fidei ,  
 „ gentium superstitionibus cogitur in-  
 „ vita deservire , Sancta Resurrectio-  
 „ nis Ecclesia , requies dormientis  
 „ Domini , eorum fædatur spurcitiis .  
 „ Loca venerabilia , quâ Dominum  
 „ in carne suscepérunt hospitem , si-  
 „ gna viderunt , senserunt beneficia ,  
 „ facta sunt gregum præsepio , stabu-  
 „ la jumentorum . Accingimini ergo ,  
 „ & estote filii potentes , ut pugnetis  
 „ adversus infideles , quoniam melius  
 „ est mori nos in bello , quam videre  
 „ mala gentis nostræ , & Sanctorum .  
 Audite hæc Principes , audite Chri-  
 stiani omnes , summi Pastoris vestri  
 Christi Vicarii lamenta , imò tot  
 oracula quot verba .

